

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica, De Emundatione Sagvinis Christi
Iustificata**

**Neumann, Johann Georg
Gölner, Johann Polycarp**

Wittenbergae, 1716

VD18 13492934

§. III.

[urn:nbn:de:bsz:31-130526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130526)

reatu, in luce ambulantes absolvuntur, & sic per fidem cum Deo uniuntur, quandoquidem inhabitat Deus per fidem in cordibus nostris, *Eph. III, 17.* Iam, si Ebionita vel Gnosticus, aut quicumque alius Judaizans & legali sanctimonia turgidus dixisset: se, vel suo studio, progredi eo perfectionis posse, ut alienæ mundationis non indigeat, etiam hoc dubium tollit Ioannes Theologus, sic pergens: *Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. v. 8. & 9.*

§. III.

Ostensus nunc Apostolus ipsam peccatorum emundationem iustitiam; Initio causam meritoriam justificationis ponit, videlicet *sangvinem Iesu Christi, Filii Dei.* Ubi sane inter se conveniunt interpretes, per hunc sanguinem intelligendum esse, totum Christi meritum, *obedientiam activam & passivam, vel, non pœnalem & pœnalem, ut B. Kœnigius loquitur, P. III. Theol. Acroamat. §. 420.* Nimirum, solenne est Scripturæ, ut omne id, quod Christus vita & morte pro nobis præstitit, voce *sangvinis* complectatur, *Rom. III, 25. Rom. V, 9. Eph. I, 7. Col. I, 14.* Cum primis vero sanguinis fit mentio, ubi respicitur ad sacrificia V. T. expiatoria. Nam quemadmodum in V. T. mactabantur animalia, in altari, eorumque sanguis expiabat animas peccantium, dicente ipso Domino: *Ego dedi illum (sanguinem) vobis super altare ad expiandam animam vestram, Levitic. XVII, 11.* Ita Christus, tanquam agnus sacrificialis, in ara crucis occisus, mactatusque est, ut sanguis ejus esset piaculum.

lum pro animabus nostris. Neque enim per sanguinem taurorum & hircorum, sed per proprium sanguinem ingressus Christus, invenit æternam redemptionem Ebr. IX, 12 Et sanguis Christi, qui se per Spiritum æternum immaculatum obtulit Deo, mundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, v. 15. qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum Matth. XXVI, 28. Unde vero, quærat quispiam, tu sanguini Christi tribuis tantam vim atque potestatem, ut expiaverit totius mundi peccata, hodieque sit propitiatio, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis? 1. Jo. II, 2. Respondet Apostolus, hanc esse causam tantæ prærogativæ, quod hic sanguis non sit ψιλὸν αἷμα, sed ipsius Filii Dei sanguis. Equidem homo in schola Calviniana educatus, statim mihi ogganniet: Anne Deus habet sanguinem? Vel: Anne Deus potest sanguinem profundere? Verum, quicquid absurditatis Calviniani tribuunt locutioni nostræ, id tribuunt ipsi Sacræ Scripturæ. Non admittimus h. l. improprietatem dictionem, aut Zvvinglii ἀλλοίωσιν, quam B. Lutherus recte vocavit *larvæ Diabolicæ*, aut quendam Synecdochen, quippe quæ sine ulla causa & impie sane hic obtruduntur. Nam si tu per filium Dei intelligas solam humanam naturam, ut Zvvingliani hic tricantur, nihil mysterii, nihil solatii, nihil efficaciam huic sanguini relinquitur. Nos cum orthodoxa Ecclesia sentimus atque confitemur, sanguinem hunc proprie loquendo, esse ipsius Filii Dei sanguinem. Hic enim, postquam assumpsit humanam naturam, & in hypostasin suam traxit, vere quoque assumpsit sanguinem humanum, arctissimeque sibi univit. Et quam proprium est corpus Petro vel Paulo propter naturalem unionem, tam

proprium quoque est sanguis Filio Dei, per unionem personalem, adeo, ut Paulus non vereatur dicere, Deum proprio sanguine redemisse Ecclesiam, Act. XX, 28. item: Christum per proprium sanguinem ingressum esse semel in sancta, Heb. IX, 12.

§ IV.

Sequitur nunc actus iustificationis ipse, verbo *καθαρίσκει* indigitatus. Illud vero generatim & vulgariter significat purgare & mundare aliquid a sordibus & maculis: per translationem autem est tollere peccatum, seu spiritualement immunditiam ac sordiditatem. Nec pulchrior facile allegoria occurrit, quæ iustificatio describi possit, quam hæc ipsa, quæ a mundationis actu desumitur. Nam phrasis illa ex V. T. desumpta est, & mundationes sacrificiales respicit, quibus mundabantur leprosi Levitic. VI. 2. aliique immundi, Num. VI. 9. quibus mundabantur ipsi Levitæ & Sacerdotes, Num. XIX. 5. quid quod per asperisionem sanguinis brutorum abluerentur peccatores a peccatis, i. e. absolverentur, Lev. XVI. 14. Num. XIX. 4. Hanc asperisionem Apostolus egregie accommodat ad emundationem a peccatis, hoc modo: *Si sanguis taurorum, & hircorum, & cinis vacca aspergens pollutos, sanctificat ad carnis puritatem: multo magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit irreprehensibilem Deo, mundabit conscientiam vestram a mortuis operibus, ut serviatis Deo vivo,* Ebr. IX. 13, 14. Nam cum peccata sint immundities coram Deo, juxta Esaiam: *Certe fuimus sicut immundus omnes nos, & sicut vestis menstruorum iustitia omnes nostræ; & decidimus omnes sicut folium; & iniquitates nostræ sicut ventus abluerunt nos.* e. LXIV. 5. ab hac immunditie sanguis Christi peccatorem purificat,